



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

12. Auerrois, & Latinorum commmenta recensentur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

formis illis obliteratis, efficique potestate; nec tamen eius substantiam immutari. Nam si formae sunt essentialis, neque à substantia distinctae; qui possunt ea obliterari intellectusque infirmari & effici potestate; quin immutetur substantia atque à natura sua penitus dimoveatur? Si intellectio est ipsa eius substantia; quomodo substantia maneat, & actio non maneat? Hoc enim ipsemet loquitur, qui nihil in nobis ponit, quod semper intelligat; sed intellectum ait aliquando intelligere, aliquando non intelligere.

Denique Aristoteli consentaneum illud non est; Intellectum à ratione diversum existere, veluti terminum ac formam rationalis animae. Sed Platonici magis; qui animam corporis, intellectum animae, unitatem, seu deitatem vnam intellectus terminum esse diciturunt. Aristoteles vnamque animam simplicem formam ac naturam posuit, pluribus praedicam facultatibus ad agendum comparatis: intellectumque & rationem rem eandem in anima nostra esse voluit; nisi quod intellectus generale quiddam significat, quo superioribus naturis cognata est; ratioque id, quod illius proprium est, ac motu quodam, inquisitione, & progressionem ex vno in aliud costat. Quare intellectum quidem, seu intelligentem ac rationale animam partem animae appellavit; ac fortasse etiam terminum, quatenus supremus est ac primus animae gradus: at intellectum rationalis animae partem, nec dixit, nec credit. Nisi partis nomine facultatem & quasi virtutis, non substantiae, partem intelligas; neque intellectum dicas intelligentem animam, sed facultatem eius. Terminum ite non dixisset, nisi accidentarium; sicut facultates omnes & accidentia subiectorum suorum comparatione. Substantialis autem terminus ratio potius intellectus, quam intellectus rationis diceretur. Siquidem intellectus generalior, ratio specialis magis & solius hominis propria est: dum immateriales substantiae caeterae absolute ac simpliciter intelligunt, sola rationalis anima nostra ratio cinando: vnde tum intelligens, tum rationalis nominatur.

Iam verò Philoponus magnopere erravit hoc nomine, quod intellectum habitu, actu & agente, confudit; quos Aristoteles distinxit plurimum: immo & opposuit, velut facientem & factum. Etenim intellectum habitu eum dixit, qui singula factus est; nec operatur, sed operari potest: agentem autem eum, qui omnia facit. Hunc arti similem esse voluit, illum operi, patientem materiae. Intellectumque agentem induxit, qui intellectum imperfectum ac rudem perficeret & exornaret atque à potestate ad habitum traduceret. Si agens igitur intellectus habitu antecedit, velut efficiens effectum; multò magis prior fuerit intellectus actu, qui ex aequito habitu operatur. Accedunt illa verba (& hic intellectus substantia actio est) & illa (separatus est id solum quod est) quae et si Philoponus intellectui habitu accommodare conetur, nimiam tamen illis vim infert, neque vliomodo aptari possunt, vt post ostendam.

Interim maneat intellectum potestate dici quamdiu imperfectus est, rudis, aptusque perfici & exornari: agentem, quatenus perficit, rerumque intellectuum formis productis exornat: patientem, vt eas suscipit, illisque perficitur & exornatur: habitu, vt illis susceptis perfectus iam est &

ornatus, promptusque ac sibi sufficiens ad operandum: actu demum, vt ex aequito habitu operatur. Sic enim in superioribus quoque in digressionem ad textum primum definitum fuit.

*Auerrois ac Latinorum commenta recensentur.*

**H** Actenus Graecorum interpretum commentationes ac sententiae, tum commemoratae, tum declaratae atque examinatae fuerunt. Facileque intelligitur, quid de Aristotele agentem & patientem intellectum asserente oporteat credere. Quamque procul ab illius mente aberraverint Averroës & qui eum sequuti sunt Latini. Is agentem intellectum propterea voluit excogitatum fuisse; non vt quidquam intelligat aut iudicet (nihil enim, inquit ille, intelligit ex ijs, quae sunt hic, sed omnis cognitio patientis intellectus est. Siquidem cognoscere & intelligere nil aliud est, quam intellectuales formas suscipere; haec in patiente, non in agente, intellectu suscipiuntur). Verum vt obiecta intellectilia formaque intellectuales faciat atque patienti praeparat intellectui.

Sic igitur ratiocinatur. Quem admodum se habet ad sensilia sensus, ita se habet materialis intellectus, què nos patientem dicimus, ad intellectilia: ergo & sensus à sensilibus & intellectus ab intellectilibus susceptis patitur; etsi alio atque alio passionis generis; ille corruptente, hic perficiente duntaxat. Hinc verò duo consequentia sunt. Alterum est; intellectum materialem abstractam neque cum corpore permixtam virtutem esse. Quippe formas omnium suscipit, cunctaque intelligit; vel etiam seipsum, in se conuersus. Alterum; cum materiale agere nequeat in immateriale; & ideo nec formae vt sunt in materia mouere intellectum possunt; sed solum vt sunt formae; hoc est abstractae atque à materia separatae; neque materialia & sensilia phantasmata sunt actu, sed potestate intellectilia: praeter materialem intellectum alio agente opus esse, qui obiecta illa de potestate ad actum extrahat, faciatque immaterialia & actu intellectilia, vt materialem intellectum mouere agendo queant. Id autem fit, dum formae à materia & vniuersae naturae à conditionibus singulis, quibus conuersa sunt phantasmata, separantur. Ab eo scilicet intellectu, qui est immaterialis, separatus, & intellectibilis actu. Cum, n. separatione hac & abstractione res eadem de vno in alium ordinem transferatur; quodque potestate erat, fiat actu; & quod erat singulare, fiat vniuersale; ac demum phantasma sensibile intellectibus euadat forma; nimirum ab agente aliqua & verò intelligente causa id fieri oportet. Hac sola ratione permotum ait Aristotelem intellectum hunc posuisse, quod vniuersae naturae nullum extra animam habeant esse. Quod si haberent, vt Plato credidit, nihil illo opus fuisse.

Iam verò ab intellectu materiali diuersum eum esse, hac vna ratione colligit. Quem admodum abstractorum intellectuum multitudinem non nisi ex actione diuersa caelorumque varia conuersione cognoscimus; ita intellectuum horum in anima nostra (siquidem per eos agimus quando cumque volumus) distinctio concluditur: quoniam alia est atque alia illorum functio. Agentis quidem abstrahere atque actu intellectilia facere; patientis autem ea recipere, cognoscere, & iudicare. Atque vt hic caeteris rebus impermissus & ab eis separatus esse debet, vt omnes suscipiat & intelligat

OOOO ij

*Intellectus & ratio vt differat.*

*Quid scio Philoponus.*

*Vnus vt in nobis intellectus.*

*intellectus agentis necessitas.*

*Intellectum agentem à patiente diuersum esse.*

sic & ille vt producat omnes intellectualesque faciat. Nam Anaxagoras quoque intellectu similes partes permiscuit impermixtum & ab omnibus abstractum posuit.

*Intelle-  
ctus &  
sensus  
simili-  
tud.*

Hæc si ita se habent; vt in sensu tria prorsus cernuntur, sensus recipiens, sensibilis forma in eo recepta, & externum obiectum illâ producens: ita & in intellectu fuerint; intellectus materialis, qui recipit; intellectus forma in eo recepta; & intellectus agens, vt motor eam producens. Quem Aristoteles in superiore quidem cõtextu comparauit arti, quòd opifex sit & architectus formatû: sed verius deinceps similem dicit lumini. Non enim omni ex parte similis est arti. Quoniam formæ,

*Intelle-  
ctus a-  
gens arti  
similis  
& lumi-  
ni.*

que arte producitur, nulla præerat pars in materia intellectus verò agens, si totam intellectualem formâ in intellectu materiali procrearet; quid opus esset phantasia & sensus? Nec tamen ad eum mouendum sola sufficit phantasia. Quia inter res vniuersas & singulas, inter intellectum & phantasiam nihil tunc interesset. Ea igitur, quæ initio posita est, intellectus & sensus comparatione atque analogia retentâ: ita se habet ad intellectum phantasia, vt sensus ad sensum. Eandemque ob causâ, propter quam ad aspiciendum præter colores & aspectum opus est lumine; ad intelligendum item præter phantasia & materialem intellectum, agens alter necessarius est, qui in intellectu faciat hoc ipsum, quod in visione lumen. Intellectilem inquam formam, quæ in phantasmate accidentibus pluribus & conditionibus singulis inuoluta delitescbat, educat in lucem atque faciat perfectam & clarâ, vt alterum intellectum mouere possit. Quemadmodum lumen obscuros ac tenebrosos colores perficit atque facit, atque ad aspectum permouendum efficaces. Quare vt à colore simul & lumine aspectus, sic à phantasmate simul atque agente intellectu materialis alter mouetur: phantasiaque & intellectus agens sunt vt mouens; intellectus autem vt motum. Verum & lumen, quod aspectabiles colores efficit, est ipsum quoque aspectabile; immò magis, quam colores. Et intellectus agens, qui res materiales facit intellectuales, intellectus est; & magis, quam cætera, quæ ab ipso sunt intellectualia.

*Intelle-  
ctus a-  
gens &  
phantasia  
vno.*

Ergò postquam intellectus materialis intellexerit cætera, eaque recipiendo sibi vniuerit; intellectum item agentem intelligit & velut formâ suscipiet; ita illi vniuetur, vt existat intellectus adeptus. In qua demum vniõne materialis intellectus cum agente (quæ sanè non nisi ex multa longaque contemplatione post aliarum omnium scientiarum adeptionem in extrema senectute contingit) suprema consistit animæ nostræ beatitudo. Ita tum efficientis & motoris, dum perficitur; tum affinis formæ vltimæque perfectionis, postquam perfectus est; vim concludit intellectum agentem comparatione materialis habere.

Hanc Auerrois fuisse sententiam, ex eius commentariis cognosces 5. 19. 20. & 36. atque ex libro de animæ beatitudine & ex epistola de intellectu abstracti cum homine connexionem. Quare scuti felicitatem nostram in coniunctione posuit cum primo principio Deo, cæterisque mentibus separatis; id interiecta vniõne cum intellectu agente accipiendum est. Vt materialis intellectus cum intellectuibus primùm materialibus, deinde per

hæc cum agente intellectu, atque per hunc demum cum intellectuibus cæteris separatis vniatur.

Auerroem post Magni Albertus in commentariis hilce de anima, & in summa de homine; sanctusque Thomas tum in hoc loco, tum in 2. libro contra gentes capite 76. 77. 78. & in disputata quaest. de anima, & prima parte sum: quaest. 79. & cæteri ferè Latini sequuti sunt. Atque agerem intellectum substantiâ separatam non esse, sed animæ nostræ virtutem & facultatem re à patiente distinctam, argumentis permultis conatus est sanctus Thomas demonstrare. Ac præter eam illius functionem, quam in phantasmatis illuminationibus vniuersitque naturis abstrahendis atque intellectuibus actu efficiendis Auerroes posuit; alteram in intellectu patibili collustrado Albertus & alii adiungere: ita vt, tum illis, tum huic, lumen fuerit ab Aristotele nuncupatum. Quemadmodum enim lumen tum colores, tum peripicum, in quo colorum species suscipienda sunt, illuminat: sic agerem intellectum & phantasia & intellectu patibilem, in quo intellectuiles species suscipi debent, illuminare oportet. Tertia demum functio nonnullis placet, vt simul cum intellectu speciei inlectionem quoque in patiente intellectu producat.

13. Quam falso hæc omnia nuntiantur principia.

Hæc illi profectò docuerunt: iamque in Latinorum scholis tanquã certa atque indubitata passim vsurpantur. Ego ne probabilia quidem iudico: Aristoteli autem ac veteribus peripateticis minimè consentanea. Nec mirum. His enim principia nuntiantur. Intellectum nostrum nequaquam res singulas & materiales, sed vniuersas duntaxat atque immateriales cognoscere: naturam vniuersâ sola & simplici abstractione fieri: ac demum tum sensuum cognitionem omnem sensibus, tum intellectualem inlectionem intellectuibus formis, quæ cognitionem antecedant, constare ac totam penè absolui. Quæ omnia mihi quibuscumque nec vera nec peripateticis recepta videntur.

Etenim res ite singulas & materiales intellectu nostrum percipere, & interna cuiusque experientia & animaduersio testabitur. Neque Themistius modo, Philoponus, Simplicius, atque Priscianus in Theophrasti librum de phantasia & intellectu cap. 14. & 15. sed Aristoteles ipse in superioribus eodem voluit intellectu, aliter tamen atque alter se habente, genus rerum vtrumque cognoscere: singulas inquam & materiales, dum cum sensu & phantasia; vniuersas & immateriales, dum per se solus operatur. Quod aduersari quoque fateri in commentario tex: 9. coacti sunt. Post vero apertissima ipsiusmet philolopi aderunt verba in text. 39. & 58. eaque argumeta omnia, quæ in superiori commentario 83. satis à me diligenter collecta & explicata fuerunt.

Quod autem ad vniuersæ nature abstractionem spectat, magis video inter viros graues disputari. Nam qui naturam vniuersam fieri ab intellectu agente volunt, plurisque sanè intellectualem ipsam speciem ab eo ex phantasmate rerum singularum conditionibus abstractam intellectualem

Dante